



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-745201-p0001-7

DFG



EXERCITATIO JURIDICA
De
REPRESALIIS

Quam
PRÆSIDE
VIR O

Nobilissimo, Amplissimo Atq; Excellentissimo
DN. JOH. CHRISTO-
PHORO WAGENSEILIO,
J. U. D. & in alma Noricorum, quæ est Altdorffii,
Universitate Juris Publici & Historiar. P. P. longè
Celeberrimo.

Patrono suo ac Hospite atatem devenerando.
Disquisitioni submittit publicæ

add. Octobr.
horis locog; consuetis
ANNO M. DC. LXXI.

JOHANNES MATTHÆUS
HASSFURTER CULMBACO-FRANCUS,

Autor.



ALTDORPHI
• Typis Johannis Henrici Schöningerstädt.

SERENISSIMI PRINCIPIS AC
DOMINI DOMINI

CHRISTIANI
ERNESTI

Marchionis Brandenburg. Magdeburgensium &c.

DOMINO
CANCELLARIO

UT ET RELIQUIS

DOMINIS CONSILIA-
RIIS INTIMIS

JUXTA ET AULICIS


VIRIS

PERILLUSTRI, SUMME
REVERENDIS, GENEROSISSI-
MIS, MAXUME STRENUIS, NOBI-
LISSIMIS, CONSULTISSIMIS ATQ;
MAGNIFICIS

*Dominis Patronis, Evergetis atq; Promotoribus
maximis*

Pietatem & obsequia

Johann Matthæus Hassfurter.



C. J. S.

CAPUT I.

*De Etymologia, Definitione & Origine
Represaliarum.*

I.

DE Represaliis quia agere instituimus; igitur ut receptam disputantium methodum obseruemus, & procedamus ordine, ante omnia oportet nos de Origine Nominae esse sollicitos. *Nomina* siquidem, & *appellationes rerum*, in cuiusq; negotii solent considerari aditu, ut eò facilius ad ipsa rerum deveniamus adyta, inquit eleganter Reink. quæst. i. n. i. de Retract. consangu. Atque licet secundum Platonem in Cratyllo, nomina rerum tantum tesseræ quædam & picturæ sint, hinc sanè semper rerum quidem potior, verborum tamen aliqua & quidem prior cura esse debet. Quo spectant textus Juriis civilis in pr. ff. de J. & I. l. i. §. i. ff. de pact. l. i. ff. & de reb. cred. si cert. pet. Disquiramns proinde non nihil de Represaliarum nomine.

II.

Quantum ad vocis Represaliarum Etymon attinet, magnum circa illud, Autorum notamus dissensum. Quidam enim Represalias à REPRÆSENTANDO derivant, rationem allegando, quod ille innocens, qui loco alterius in

A

Repre-

Represaliis vel pro suâ personâ detinetur, vel cuius res sunt ablatæ, *repræsentet* debitorem verum, imò ipsum Magistratum, qui ad consequendum debitum jus & justitiam extraneo denegavit, hinc qui hanc tueruntur derivationem, non Represaliæ scribunt, sed Repræfaliæ ut diphthongi principis expressio, tantò magis illi faveat. Sunt qui à *Repressu* Represalias dictas autumant, quod iis aliorum injuria reprimatur, & ad suum cuiq; tribuendum inferatur necessitas. Nonnullis placet à *Reprædando* vocis originem petere. Alii ad Gallorum *Reprendre* i.e. rursus capere, configuiunt, quos inter ipse videtur fuisse Magnus *Grotius*, quando *in not. ad l. 3. de J. B. & P. c. 2.* rectius esse existimat, si quis *Reprensalias* scribat. Deniq; non desunt, qui ab Italorum *Ripresa*, quod *recaptionem* [si eo verbo utiliter] propriè innuit, etymologiam arcessunt. Atq; horum quidem opinio, si in ea re, quod sentimus proficendum est, nobis verior videtur, non tantum enim magna inter voces *Ripresa* & *Represalia*, tām quoad elementa literarum, quām ipsas earum significationes est propinquitas, sed & *Bartolus tract. de Repres.* testis est, primū apud Italos Represalias invaluisse, quare rem simul cum nomine ab iis populis ad alias esse translatam est verisimile.

III.

Cæterū si barbaro istoc velis abstinere vocabulo, pro Represaliis græcè ἀντιμετία, & latinè Clarigatio, sive Jus clarigationis dicere licebit, autoritate veteris *Glossarii* & *Gothofredi ad tit. C. ut null. ex vican. pro alien. vican. debit. ten.* & *ad l. 4. de execut. & exact. item ad Nov. 52. c. 1. Romanus Pontifex in c. un. scilicet de injur. & damn. dat. in 6.* & fortasse *Justinianus in Nov. 52. c. 1. pro Represaliis Pignerationes dicunt:* Interim tamen si accuratè rem consideremus, differunt utique Represaliae non tantum ab eo, quod apud Græcos

ἀντιμε-

* * (3.) * *

αὐθολήσιον & quod apud Romanos clarigatio, sed etiam ab
ipsis pignerationibus : Nam pignoratio autoritate privata
fit, & est turbatio possessionis, quando quis capti pignori-
bus jure suo uti prohibetur. Represaliæ autem fiunt con-
sensu & autoritate Principis, ob justitiam denegatam. Il-
lam concives quoque adhibent ; Hæ inter exterros tantum
habent locum. Illa denique in totum prohibita ; Has suo
modo permissas esse, ex progressu patebit. vid. Excell. Dn.
D. Textorem disput. 8. ad Receß. Imper. de Anno 1654. th. 5. 6. 7.
Germani Represalias vocamus, Rechtliche Hemmung und
Aufhalt. Et Galli appellant *le droit de Marque*, quod, ceu
Gothofred. ad Nov. 52. c. I. & *Cujacius ad L. un. C. ut null. ex vican.*
volunt, Represaliarum jus potissimum in limitibus exer-
ceatur, ad injurias regniconis ac civibus in alienis regnis il-
latas, vindicandas. Nempe si cui negotiatori Gallo merces
diripuerunt Hispani, mox Galli quem primum appellere
vident mercatorem Hispanum, & ipsi rebus suis spoliant,
teste *Limn. lib. 4. Jur. Publ. c. 8. n. 310.* De cætero caven-
dum ne cum Represaliis Arrestum confundatur, nam in Ar-
resto ex obligatione aliqua, antecedente officio Magistra-
tus, & petente Actore, Reo interdicitur ne loco excedat.
At Represaliæ erga innocentis exercentur. vid. *Gail. de pi-*
gnerat. obs. 1. n. 6. & laudatum Consultissimum Dn. D. Textor:
disput. 9. th. 5.

IV.

Post verborum disquisitionem nunctempus est, Re-
presaliarum afferamus Definitionem : dicimus igitur, esse
eas, Remedium Juris Gentium extraordinarium, quo cre-
ditor in Principis sui territorio cum ejus consensu sui debi-
toris concivem vel comprovincalem, aut res illius detinet,
ut ista detentione personarū, vel apprehensione bonorum,
sibi, de debito liquido & aperto, quod consequi aliter non

poteſt, ſatiſfiat Vel: Repreſaliæ ſunt apprehenſio aut ma-
nus injectio, nobis à ſupremo Magiſtratu permifſa, adver-
ſus ejus loci incolas vel eorundem bona, in quo vel jus no-
bis denegatum, vel dolo malo protracta juris adminiſtra-
tiō fuit, quamvis illi nobis neque ex contractu, neque ex de-
liſto obligati ſint, quamdiu nobis ſatisfactum non etit. Ja-
cobus à Canibus in tractatu de Repref. n. i. breviter Repreſalias
definit, Pignerationem, qua aliis pro alio gravatur.

V.

Sunt autem Repreſaliæ omnino Remedium Juris Gen-
tium, atque hinc earum conſtat origo, quippe uti verè ait
Hug. Grot. l. 3. de Jur. B. & P. c. 2. §. 5. corpora aut res mobi-
les ſubditorum ejus, qui jus non reddit, capi poſſe, non qui-
dem natura introductum eſt, ſed moribus paſſim rece-
prum. Et quamvis Bartolus ſtatiſ ab initio ſui tractatus de
Repref. earum uſum admodum recentem putet, & tum de-
mum introductum, cum peccata hominum meruerunt ut Ro-
manum Imperium proſtratum jaceret per tempora multa, & Re-
ges ac Principes, ac etiam civitates maximè in Italia, ſaltem de fa-
to in temporalibus dominum non agnoſcerent; tamen jus hoc
rectius dicetur vetuſtiffimum eſſe, & apud Homerum Poëta-
rum antiquiffimum *Iliad.* & reperiri ejus veſtigium, dum
Nefor dicitur ob ereptos patri equos, Elidensium pecora
& armenta cepiſſe:

*Utinam [ſunt verba Interpretis] ſic aetate florere, robur ve-
rò mihi firmum eſſet,*

*Sicut, quando Elidensibus & nobis contentio accidit
Ob abacionem boum, quando ego interfeci Itymoneum
Fortem Hypirochidem, qui in Elide habitabat
Rapta pignora abigens.*

*Sic & de Romanorum navibus, quas pro bonis Tarquinio-
rum, Cumis Aristodemus Tarquiniorum haeres, retinuit,
videri*

5.

videri potest *Liv. lib. 2. Histor.* Quomodo autem & quando Represaliarum usus primitus in valuerit, in obscuro est, & credo id definiri non posse. Interim ad harum usum confirmandum dubium nullum est, multum contulisse vetus Atheniensium institutum, quo more receptum erat; ut si quis ab aliquo cæsus esset, & occisor in quam civitatem se receperisset, cognatis interfecti esset potestas, atque licentia, homicidam ab illa civitate repetendi, quod si verò tuerentur incolæ hominem, & illum dedere nollent, habebant cognati jus, ab illa civitate, quæ sic tradere recusaverat homicidam, unum vel plures, non tamen ultra tres, capiendi, & tamdiu detinendi, donec homicida dederetur, aut poena legibus constituta afficeretur. Ipsa verba legis Atticæ, prout ea *Grot. loco sèpè indicato* latine vertit, apponere est operæ pretium. Sic verò habent: *Si quis morte per vim illata obierit, pro eo proximis & necessariis jus esto, homines prehendendi, donec aut poena sumatur de cæde aut homicida dedantur;* liceat autem tres tantum homines prehendere, non ultra.

V I.

Porrò negari nequit Romanorum quoque Clarigationem speciem Represaliarum habuisse, & sanè *Zasius ad L. 2. §. & ita leges ff. de O. I.* Represaliarum originem à Fecialiibus, quas Numa Pompilius, secundus Romanorum Rex instituerat, repetit: Horum autem officium erat custodire & præcavere, ne alicui confoederata urbi, bellum à Romanis injustum inferretur; quod si forte ab aliis fœdera violarentur, repetereres, & si non redderentur, bellum triginta diebus peractis, decernere, superos desuper invocantes, populum injustum esse, neque jus reddere velle. Ex haec tenus verò allatis, uti satis appareat, fuisse jam apud veteres mortales, Represaliis nostris, aliquid simile, ita quando primum hæc forma, quâ Represaliæ nunc gaudent, reperta fuerit, &

quando gentes de ea inter se convenire cōperint, parum
liquet.

VII.

Semel inventæ Represaliæ non tamen omnibus in uni-
versum Gentibus se commendarunt. Ac ne de aliis dica-
mus, certè Imperatores Romani, in Imperio Romano eas
vetarunt, nihil enim gravius visum, quām ut ex contraētu
vel delicto unius ex convicanis, vel rusticānis, alter con-
vicanus teneri debeat, & ut potestas sit creditoris ob unius
vicani debitum, alium quemvis ex eodem vico detinere,
& bona apprehendere, donec verus debitor satisfecisset.
Proinde Zeno Imperator hanc licentiam, expressa constitu-
tione prohibuit, quæ inserta Codici, deprehenditur sub ti-
tulo: UT NULLUS EX VICANEIS PRO ALIENIS VI-
CANEORUM DEBITIS TENEATUR. Quem secuti Honor.
& Theod. Imp. prohibuerunt, nullam alterius possesso-
nem pro alienis debitibus publicis vel privatis conveniri in l.
4. C. de exec. & exact. Enim verò non usquequaque mos ge-
stus est iis legibus & prava homines pignorandi invaluit,
deinde consuetudo, qua de re memorabilis querela est Theodo-
dori Gothorum Regis ad Johannem Campaniæ Consulēm, a-
pud Cassiodoru[m]. libr. 4. Var. Epist. 10. Provincialis Campaniæ
atq[ue] Samnii suggestione comperimus, nonnullos neglecta tempo-
rum disciplina, ad pignorandi se studia transtulisse, & quasi e-
dicto missō, per vulgus crevisse licentiam vitiorum. His multò
acerbiora jungentes alienis debitibus ad solutionem alios trahi, so-
lamq[ue] causam probabilem videri, si aliqua debitori in civitate
potuit conjungi. O iniquæ persuasionis errorem ! Dividuntur
causa Germanis, filius obligationibus paternis, si non si h[ab]eres,
exuitur, uxor maritalibus debitibus, nisi per successionis vincula
non tenetur; & audacia ad solutionem, trahit extraneos, cum
absolvant jura conjunctos. Voluit autem Theodoricus fibu-
lam

Iam imponere, pessimo privato ausu, quæ nimis exercebantur, Represaliis & pignorationibus: Quare in eâdem Epistola sic deinde subjungit: *Spectabilitas vestra ad cunctorum faciat notitiam pervenire, ut quisquis quod repetere debuisse, pignorandi studio fortassis invaserit, voce juris amittat: nec licet cuiquam sua sponte, nisi obligatum forsitan pignus auferre. Si verò alterum pro altero, quod nefas dictu est, pignorare maluerit, in duplum cui vim fecit, direpta restituat. Quem verò ab hâc redimitione fœdum patrocinium tenuitatis excusat, pro amissi (fortasse legendum admissi) qualitate facinoris, in eum fustuário supplicio vindicetur.* Interjecto deinde tempore, cum ceu est in Nov. 52. in pr. causa inhonestarum pignorationum, & odibilium super his exactiōnum tantis castigata legislationibus adhuc præsumeretur, & in Repub. esset, ac majorem sui præberet virtutem, quam legum necessitas. *Justinianus dicta hâc Novella, de novo morem istum damnavit, renovavitque anteriorum Principum contra pignorationes edicta, additâ cap. i. causâ, quod rationem nullam habeat, alium quidem esse debitorem, aliud verò exigi. Non tamen vel hâc ratione, penitus extirpari potuerunt pignorationes, sed populi nihilo minus eas in usum revocarunt. Igitur cum omnino non possent tolli è Republ. referendæ sunt in numerum illorum juriū, quæ Justinianus Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ. §. 2. usu exigente & humanis necessitatibus, gentes humanas sibi ait constituisse. Et verò non ita naturæ repugnant, ut non more & tacito consensu induci potuerint, cum & fidejusfores, sine ulla causa ex solo consensu obligentur. Et spes erat facilius membra ejusdem societatis, à se metuò jus consequi posse, & indemnati suæ consulere, quam externos, quorum multis in locis exigua habetur ratio: Deinde commodum ex hac obligatione commune erat omnibus populis,*

pulis, ita ut qui nunc eo gravaretur, alio tempore indidem sublevari possit. Ita *Grot. l. 3. c. 2. §. 2.*

VIII.

Evidem sunt omnino multi, qui Represalias vehementer damnant, illorumque usum sublatum volunt, quos inter *Harpr. §. creditor 4. I. quibus mod. re contrah. oblig.* n. 338. &c cum illo *Colerus, Berlich. Hunnius, aliiq.*, neque destruunt rationum ponderibus. Nos tamen cum summis viris, *Bartolo, Limneo & Grotio*, eas in foro & poli & soli licitas esse putamus, futili haud adducti ratione, quae in jure belli fundatur. Si enim DEUS propter causas quasdam justas belligerare permisit, & ita bellum juri divino haud repugnat, quod demonstrat *Grot. l. 1. c. 2. n. 5. de J. B. & P.* Represaliæ autem species belli sunt, uti communiter receptum legimus *Laud. tract. de Repres. n. 5.* rectè inferimus, has quoque esse jure divino permissas. Ratio consequiæ est, quod bella & Represaliæ easdem habeant proprietates, ambo enim sunt apprehensio personarum & rerum, & talis quidem, ut aliis pro alio prehendi queat. Quae autem easdem habent proprietates, eandem videtur habere essentiam, atque par est parium jus & ratio. Præterea requirit jus divinum, ut summa potestas, omne bonum promoteat, removeat malum, quando autem illa denegat peregrinis justitiam, hujus maximè transgreditur legis limites, igitur illi tanquam injustè regenti obnendum ab iis quibus id facere fas est, & mediis legitimis, quod quidem per Represalias accidit. Atq; hæc optimorum Autorum concors est sententia, dummodo illa, quæ in bellis culpantur, qualia secundum *S. Augustin. apud Bartolum*, sunt nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ sunt similia, etiam in concessione Represaliarum absint quam longi-

••••• (9.) •••••

longissimè, animus enim iniquus, facit illas in foro conscientiae illicitas, inquit idem deinde Bartol. tract. de Repres. quæst. I.

IX.

Sed de Jure Civili nunc quoque videndum est, secundum quod Represalias omnino illicitas esse, multi Doctorum vehementer contendunt. Verum enim verò, si quis paulo magis animum advertat, videbit textus qui ex illo repugnantes adducuntur, omnes fermè esse generales, nec commodè nisi per indirectum ad nostrum Represaliarum casum trahi posse, quod si tamen eos de Represaliis loqui constanter quis prætendat, saltem verum erit, loqui omnes de Represaliis, quas invicem faciunt ii, qui unum & eundem recognoscunt superiorem. At quia hi ad superiorem possunt provocare & quod ab intermedio denegatum jus, ab isto consequi, Represaliis quid opus? Imò posito, jure veteri civili stricto planè esse prohibitas Represalias, earum tamen usus deinde ob magnam ex iis redundatam utilitatem, introduci potuit, cùm innumerabilibus rebus probari possit, multa contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse, uti disertè dicitur l. 51. ff. ad L. Aquil. Tantus quippe utilitatis publicæ favor est, ut ea, quæ publicè utilia, non includantur in his, quæ per leges prohibentur: Et pro benefacto habetur, si quid ratione pacis & quietis contra jus strictum factum fuerit. Franzk. ad §. 2. Inst. de Jur. Nat. Gen. & civ. n. 37. usq; ad n. 40. Hinc licet Represaliæ violentiæ multum habere videntur, quia tamen justitia sive æquitas rationalis vedit, sæpe nunquam ad suum cuique tribuendum perveniri posse, si usus omnis Represaliarum è Republica tolleretur, vi quâdam & necessitate compulsa, illas tolerat, viamque illam compendiariam & extremam elit, sicque illud quod primâ fronte ini-

B

quum

quum videtur, multū si recte accipiatur æquitatis habere deprehenditur. Nam ut egregiè Cie. scribit l.i. Epist. fam. ad Lentulum suum. Nunquam præstantibus in Republ. gubernanda viris, laudata est in una sententia perpetua permanσio: Sed ut in navigando tempestati obsequi artis est, etiam si portum tenere nequeas: cùm verò id possis mutatā velificatione assequi, stultum est, eum tenere cum periculo cursum, quem ceperis potius, quām eo commutato, quo velis tandem pervenire. Verè omnino, & ex tripode hæc dicta sunt, nam qui Rempublicam administrant, non idem semper facere, sed idem semper spectare debent.

CAPUT II.

Exhibens causam Efficientem Represaliarum.

I.

His ita præmissis ad Represaliarum causam nunc pergendum est Efficientem. Hæc autem est vel Remota, jus nimirum non scriptum sive consuetudo, quā de re ha-
stenus actum est, vel Propinqua, Princeps scilicet neminem re-
cognoscens superiorem: Nemo enim aliis, quām ejusmodi ali-
quis Represaliarum potestatem facere potest. Represaliæ
enim species sunt belli justi, at nemo indicere bellum po-
test, nisi summus Princeps l. 3. ff. ad L. Jul. Maj. l. un. C. ut ar-
mor. usus in scio Princ. sit interd. Quare consequitur, Represa-
lias non nisi à summadecerni posse potestate. Forsitan ta-
men facultas hæc competit etiam inferiori Magistratui mi-
xtum & merum, quales olim fuerunt Præfides Provincia-
rum l. 6. §. 8. ff. de offic. Præfid. habenti Imperium Jac. à Can.
tract. de Repref. n. 22. Sed tūm requiritur ut ab antiquis
temporibus jus hoc absque contradictione exercuerint, &
ut ad superiorem aut planè nullus, aut difficilis daretur re-
cursus. Nam & quæ factu difficultia sunt, pro impossibili-
bus

*** (II.) ***

bus plerunque haberi, Cic. in partit. scribit, & probatur ex
l. 4. §. puto ff. de hered. inst. vid. Bartol. de Repres. quest. 2. sub fin.

II.

Cui autem in Imperio nostro Romano-Germanico potestas concedendarum Represaliarum competit, de diversa Doctorum est opinio. Veterum plerique soli Imperatori laxandarum Represaliarum concedunt jura, cuius rei testes sunt Bart. de Repres. quest. 3. n. 3. Coler. de Proces. execut. part. I. c. 2. n. 280. in f. Matth. Wesenb. consil. 46. Fundantur autem partim in potestate indicendi belli, quæ non nisi Imperatoris adhæret ossibus & Imperii Statibus prohibita. Ord. Cam. part. 2. tit. 15. daß wider die rc. vers. aus der Käyserl. Majestät rc. partim ob periculum, quod metendum, si promiscuè apud nos exteri detineantur, nam & illorum Magistratus, ob injuriam suis illatam, nostros homines vicissim apud se servaturos metus est, atque sic bellorum magna quotidiè daretur occasio. Quod ne fiat, citra Capitis consensum ad remedia hæc periculosa deveniendum non esse, non abs ratione contendunt. Prorsus uti Carolum VIII. Galliæ Regem Represaliarum concessionem ad jurare revocasse Majestatis, sibiique soli vindicasse Bodin. l. 1. c. ult. de Republ. autor est, cum antea Praefecti Provinciarum & summae Curiæ regni usque ad sua tempora, hoc jure galvæ essent. Atque constat, Imperatores ipsos sæpè in concessione Represaliarum hæsitasse, nec unquam Cameram vel Aulam Cæsaream eas decrevisse, [exemplum enim quod de Norico quodam adversus Rosenek Polonum refert Rhoding. pand. Cam. l. 3. tit. 18. §. 2. simplex potius arrestum sapit, quam Represalias.] Et sanè boni Principis est, quantum fieri potest, publicis incommodis, quæ facilè ex Represaliis oriri solent, sedulò obviam ire, ne ex parva scintilla magnum cæteroquin oriatur incendium.

B 2

III. Cæ-

III.

Cæterum Colerus part. i. proc. c. 2. n. 280. Mindan. l. i. proc. c. 49. & Prukmann consil. 17. n. 104. volum. i. longius progressi, jus concedendi Represalias præter Imperatorem etiam ad Electores imò & alios territoriorū dominos extendunt, & ad usum ac consuetudinem provocant, quam nos assertionem imprimis quod ad postremam ejus partem attinet in medio relinquimus, et si ferè apparet, favere ei quodammodo ipsum Instrum. Pacis, quia enim illud Art. 8. §. gaudent, Statibus Imperii cum Exteris Cæsare inconsulto bellum gerendi, omnem facultatem hanc adimit, ideo & Represaliarum jus iis competere, queat quis subsumere.

CAPUT III.

Exhibens Causam Materialē Represaliarum
I.

Dictum de Personis quæ Represalias concedere possunt, progrediendum porrò ad Materiam in quam illud jus exercendi transfertur, sive ut clarius loquaris, dicendum de personis, quæ summæ potestatis indultu, hoc represaliandi privilegium accipiunt. Atque haec sunt, qui Cives & subditi tām tempore concedendarum Represaliarum, quām tempore damni dati deprehenduntur. L. 4. §. 1. ff. de noxal. act. & l. 1. §. 30. ff. deposit. nisi enim exigeretur, ut etiam tempore damni dati quis subditus aut civis existat, cæteroquin quilibet damnum sentiens, facile se in ci-vem recipi à potentiore laboraret, & postea jus suum adeptus, ingratus recederet. At non debet quis habere privilegia alicuius artis, nisi qui eam re ipsa exercet. l. Nemini 3. C. de Consul. lib. 12. Ex his consequitur excludi à Represaliarum participatione l. Incolas, excipetamen si tales munera vel gravamina, ut reliqui cives, subeant, naturale enim est, eum

eum sequi commodum, qui habet incommodum. l. 10. ff.
de R. I. aut si sint privilegiati arg. l. 3. ff. de constit. Princip vel
si habeant jura civitatis, ac ut cives tractentur *Laud. dict. sæ-*
pè tract. n. 22. pertinet huc, si cui peregrino incolæ, intuitu
Reipubl. injuria sit facta, quia iniquum esset, si læso eocasu
non subveniretur arg. l. 3. ff. de offic. *Præsid.* præsertim cum
hoc casu non tam incola, quam per eum Resp. sit læsa. *Jac. à*
Canib. n. 30. in f. II. Excluduntur à beneficio Represaliarum
Advenæ, quia advena secundum l. 239. §. 4. ff. de V. S.
colonus tantum adveniens est, & non nisi temporariam
agit moram, atque ita nullum Reipubl. membrum est,
hinc ineptum foret, si Resp. tanquam corpus, de illo esset
solicita, corpus siquidem suas solum defendit partes, non
alienas. Neque si maximè lex lata sit, ut Advena pro cive
tractetur ac reputetur, oppositum obtinebit: aliud enim est,
esse civem, aliud, pro cive haberri, quod posterius aliquam
notat improprietatem, nec aliud quid præcipit, quam ut
benè & honorificè à civibus quis habeatur. *III. Bannitus,*
segregandus à Represaliis, talis enim habetur pro mortuo
l. 1. §. 8. ff. de ban. poss. contr. *Tabb.* nec sub aliquâ potestatis
protectione esse censetur, hinc nec injustitia ipsi facta dici
potest. Et quomodo beneficio Represaliarum dignus ju-
dicari posset, cum omnes illius obligationes, contractus, &
jura omnia irrita sint & nulla? *O. C. part. 2. 1. 9. §. 2. dasz alle*
Beschreibungen u. Gail. lib 2. de pac. publ. c. 1. n. 23. imò ut
hostis Imperii odio extremo prosequendus *Gail. d. l. IV. Ban-*
nitus accensentur Rebelles, qui pro latronibus & societatis
everroribus habentur l. 3. §. fin. ff. ad L. Cornel. de Sicar. nec
sunt in tutela civitatis à qua ejecti. *V. In eundem censem,*
revocandi Judei & præprimis foeneratores. *Guil. Anton. de*
Freundeb. de Rescript. morat. concl. 19. n. 5.

Materiam in qua, excipit Materia circa quam, quæ sunt cives extranei sive subditi horumque bona, illius Reipubl. quæ denegatione justitiae vim facit. Conjungimus autem personas cum rebus, contra plurimorum sententiam, qui personarum prehensionem planè naturæ & legibus contrariam statuunt Joh. Kopp. l. 2. observ. 4. n. 7. ad similitudinem juris Marchæ apud Gallos usitati, ubi solum bona, non personas detinere fas est, ita, ut nonnunquam vincula & corporum nexus expressè prohibeantur, ut ex Duarenio ad tit. C. ne fil. pro patre & aliis refert Limn. l. 4. c. 8. n. 317. Verum sicuti in bello licet & personas & res indistinctèprehendere; Ita in causa quoque Represaliarum, quæ ad modum justi conceduntur belli, licitum erit, tam personas quam res infestare. Carpz. def. 5. n. 3. Nec asserto huic obstant, quæ de hominibus liberis afferuntur, item, quod concessiones ejusmodi odiosæ, semper sint restringendæ, potissimum in causa tam favorabili hominum liberorum. Largimur quidem, quod si nocentis copia possit haberi, illum præ reliquis esse prehendendum, semper enim ii magis adstringendi, qui culpabiliores sunt Col. de proc. execut. p. 2. c. 3. n. 328. cum poena suos tenere debeat autores, non alios. sancimus 22. C. de pœnis. Attamen cum & cæteri concives non adeò verè possint per omnia innocentes dici, non injuria sustinenc quoque hunc Represaliarum metum.

III.

Sed ut nulla sine exceptione est regula, ita idem huic nostræ accedit, & excipiuntur hic, communi quidem Gentium jure. Legati, l. fin. ff. delegation. l. 8. §. 1. ff. de R. D. & qui sub eorum nomine continentur Commissarii, Rutger. Roland. tr. de Commiss. & Commissar. p. I. l. 3. c. 3. n. 16. cum Comitibus ipsorum & rebus Hug. Grot. l. 2. de J. B. & P. c. 18. n. 8. modò

modò res illæ , quas secum portant ipsis sint necessariæ , &
ad alios non pertineant , quia prætextu privilegii illicitum
committi non debet , *Gothofred. ad l. 8. C. de SS. Eccles.* Quibus
& nos Principis adnumeramus Consiliarios ob l. un. C. de præ-
pos. labor. ubi *Honorius & Theodosius Impp.* immunitate digni
sunt , inquiunt , quos nostri lateris comitatus illustrat . Quin
& in l. *Quisquis. s. in pr. C. ad L. Jul Majest.* Consiliarii , pars
corporis Imperatorii esse dicuntur . Ex legibus Politicis
excipimus . I. Clericos c. un. s. de injur. in 6. sed utrum capi-
tulum hoc , ad casum tantum ubi Laico contra Clericum .
Represaliæ sunt concessæ , sit restringendum , an minus ,
Canonistis cum *Bartol. quæst. 7. n. 6. sui tract. discutiendum*
relinquo . Clericis proximi sunt illi , II. qui voto conce-
pto ad indulgentias vel loca , pietatis & religionis ergò profici-
cuntur , vulgo Pilgram und Wahlfarter . arg. Auth. omnes pe-
regrini C. commun. de succèss. Sed notandum , Jacobum à Ca-
nib. traët. de Represal. n. 44. opinari , non aliter eentes ad in-
dulgentias famolas & approbatas , hoc privilegio gaudere ,
quam si peras & burdones & alia insignia gestent peregri-
norum . III. Excipiuntur Artium Magistri & Studiosi , ex
nobili Auth. *Habita. C. ne fil. pro patre.* cum illorum famulis
& generaliter omnibus , quibus sine dispendio studiorum
carere non possunt , arg. l. 6. & l. 8. ff. de usu & habit. quod
intelligendum de iis rebus , quas usus sui causa circa se ha-
bent , ac de famulis quamdiu apud Professores , Studiosos ,
aliasque personas Academicas permanent . *Matth. Steph. de*
Jurisd. l. 3. part. 2. c. 6. n. 2. Hoctamen privilegium in Im-
perio solùm Romano validum pronunciat *Limn. d. l. & c.*
n. 316. quia dispositio Friderici Imperatoris ad Imperium
tantum pertinet , atque aliis non recognoscensibus superi-
orem nihil præscribere potest . Quin amplius eandem im-
munitatem ad parentes & fratres , filium fratrem vè in Aca-
demie-

demiis visitantes, quidam extendunt Guid. Papæ. decis. 34. in f. Jac. à Can. n. 43. IV. Excipiuntur Mercatores ad nundinas solennes summi Principis privilegio munitas, e untes, arg. l. un. C. de nundin. quin & redeuntes quoque Pfeil. consil. 130. per tot. nec enim securè venit, qui non securè potest recedere. V. Excipiuntur Mulieres. Nov. 134. c. 9. quod translatum in Auth. sed hodiè C. de offic. divers. judic. Unde nec pro fiscali nec privato debito carcerari possunt. VI. Mortuum prohibemur detinere l. 3. §. 4. ff. de sepulchr. viol. etiam si pse debitor fuerit l. s. n. C. eod. Francisc. Pfeil. consil. 131. VII. Excipiuntur Banniti sive præscripti, quia enim isti non amplius sunt membra Reip. adversæ, nec commodis illius fruuntur, iniquum esset, ut portent onera, per jura vulgata. Video tamen refragari Laudens. n. 47. sui tr. de Repres. opinature enim ipse cum Bartolo, quod licet bannitus non amplius sit & dicatur de universitate quoad commoda & honores, tamen talis sit quoad incommoda, quod qnidem in casu nostro usu venit. Adde quod cæteroquin bannitus delinquens melioris futurus esset conditionis, quam non delinquens, id quod adversatur l. Servius. 4. ff. quod vi aut clam. Verum quicquid hujus sit, etiam si detineatur bannitus, exigua ab ipso sperari poterit damni reparatio, nam amissis bonis & civitate relictâ nudus exulat l. 7. §. 3. ff. de cap. min. VIII. Excipiuntur quoque Rustici cum suis ligonibus. Item IX. Senes & egrotantes, prout clare suffragatur die Policey-Ordnung zu Frankfurt Anno 1577. aufgerichtet. tit. 6. was in denen Kriegsläufften befreyet. ibi inter alios, Alte / Kranken und Ackerleute enumerrantur. X. Excipiuntur generaliter omnes, qui in jus vocari nequeunt, quales sunt infantes, impuberes, furiosi, l. 4. in pr. ff. de in jus voc. quod Dd. quoque communiter producunt ad eum, qui uxorem ducit l. 2. ff. eod. & qui funus comita-

imitatur l. 3. eod. Sprenger. insuper in *Jurispr. publ.* p. 113.
hoc ad Magistratum quoque extendit, quod tamen vix
concedendum erit, nam ut supra dictum, Magistratus
maxime culpa sua Represaliis causam dant, quare ut ipsi
vel in se vel in bonis luant, æquitas postulat.

IV.

Quia vero pridem asseruimus, Represalias tantum
adversus Exteros & alienæ Reipubl. cives locum habere,
ex eo cuivis intelligere datur, non concedi easdem adver-
sus concives vel subditos, nisi sint rebelles & transfugæ,
cum enim jurisdictione illos componere possibile sit, quid
opus ut ad arma & pugnas Magistratus rem devenire patia-
tur. l. 13. §. 3. ff. de usu fr. l. 13. ff. quod met. caus. gest. erit. Hinc
Statuum subditis contra se invicem non largiendæ. O. Cam.
p. 2. tit. 16. quoniam Iæsus Cameram vel Aulam Imperia-
lem adire potest, & viâ promotorialium vel mandati pœ-
nalis sine clausula de administranda justitia, vel citationis
ad prosequendam in Camera litem suum jus consequi
Ord. Cam. p. 2. t. 1. §. Es soll auch. Gail. i. observ. pract. 28.
Proinde quando contrarium usum adducit Mindan. de pro-
cess. l. 1. c. 49. membr. 5. ex l. Judices. 8. C. de navic. factum ur-
get, non jus. Enimvero adversus subditos rebelles Re-
presalias concedi posse minimè ambigimus, in primis quia
ejus rei Exemplum nobis suppeditat ipse Fridericus I. Impe-
rator apud Petrum de Vineis l. 5. Epist. 48. qui hoc adversus re-
belles Anconitanos Represaliarum Edictum promulgavit:
Universis &c. fidelitati vestrae notum facimus per præsen-
tes, quod B. & M. mercatores, de N. fideles nostri, ad no-
stræ Celsitudinis præsentiam venientes, Majestati nostræ
humiliter supplicarunt: ut quia, dum ipsi quondam na-
vim, cum eorum mercibus, & rebus aliis valentibus uncias
auri centum & plus, Venetas destinarent, rebelles nostri

C

Anco-

Anconitani, navim ipsam hostiliter invadentes, ceperunt eam cum mercibus antedictis, capiendis de bonis ipsorum, quousque de domino ipso resarciantur ad plenum, de nostra gratia concedere licentiam dignaremur. Nos igitur supplicationibus istorum benignius inclinati, cum eisdem fidelibus nostris damna passis deesse nolumus, dedimus eis licentiam ac plenariam potestatem: ut, quamdiu dicti Anconitani in rebellione nostra perstifterint, ubique per mare & terram de bonis eorum capiant, quae non sunt ad opus. Curiæ nostræ capta vel etiam annotata: ut eorum, quibus securitatis nostræ literas duximus concedendas, quousque eis in valore unciarum auri, centum, & illatorum dannorum, superius prædictorum nostrorum rebellium, plenius satisfaciat. Quare universitati vestrae præcipiendo mandamus, quatenus super capiendis bonis Aconitanorum, prædictorum nostrorum rebellium, nulluseos impedit, vel molestet: imò ob reverentiam culminis nostri assistatis eis super præmissis, auxilio, consilio & favore: dum tamen ad ea, quae ad opus Curiæ nostræ capta, vel annotata sint, seu ad eos quibus securitatis nostræ literæ per nostram Excellentiam sunt indultæ, manus aliquatenus non extendant.

V.

Hactenus de Personis à Represaliis exceptis, videbimus porrò, utrum enumeratarum personarum res, æquali gaudeant privilegio. Et verò omnium optimè hic distinguit Bartol. quæst. 8. n. 1. sui tract. inter personas, quae non possunt pignorari ratione solum suæ personæ, ut puta: mulieres, infantes, furiosi: Et inter personas, contra quas Represaliæ non possunt exerceri ex certa causa, v. g. contra Legatos, Scholares. Illarum personarum res omnino prehendi possunt, modò non sint ex numero earum sine

Sunt quibus mulieres honestè vivere nequeunt , uti sunt vestimenta aliaque ad amictum pertinentia. Deinde ita fieri debet prehensio , ne eo ipso personæ retineri videantur. Secundi generis personarum res in tantum à captura liberæ sunt , ut etiam aliorum res quas tanquam necessarias , ad proprium secum portant usum , similem consequantur licentiam.

V I.

Sed hic opportunè quæritur , sitne concessum res in territorio civitatis adversæ prehendere? Et breviter respondemus negando. Per se enim Represaliæ odiosæ satis sunt , vindendum ergò ut minimum in se cōtineant violentiæ , *Arum. diss. 8. th. 3. p. 220. Jur. publ.* Si tamen specialiter in concessione Represaliarum exigente forsitan necessitate , quid amplius expressum sit , ultra progredi licet. *Bartol. d. quæst. n. 3.*

CAPUT IV.*Exhibens FORMAM.***I.**

Sicuti ad bella prinos non convenit esse Principes , nec Medicos ad desperata remedia , nisi desperatis in morbis ; Ita cui Represaliarum laxandarum jus est , remedio hoc extraordinario non debet prodige uti , ne cæteroquin se suosque multis maximisque involvat calamitatibus. Itaque diligenter & ante omnia prius dispiciendum I. An debitum sit liquidum , justum & sufficientibus probationibus firmatum , ita ut supplicantis postulatio vel rejudicata , vel publico instrumento , vel chirographo plenisquenitatur indiciis. *Harpr. ad §. 4. I. quib. mod. recontrah. obl. Reink. de Retract. consangu. quæst. 6. n. 112. p. m. 232. II. ut. sit magni momenti debitum , unde læsio enormis & da-*

imum inferatur atrox, quod in publicam quoque rem se extendat, in modicis enim & parvum inferentibus præjudicium extraordinaria cessant remedia l. 9. §. fin. ff. dol. mal. minusque insuper potius habendum, ne majus sequatur, l. 4. ff. de integr. restit. l. 21. ff. de except. Sed hoc requisitum ut verum de jure & traditionibus Doctorum esse, sic fallere de consuetudine dicit Arum. diss. 8. th. 4. III. Requiritur, ut debitor sit solvendo tempore requisitionis. Is enim nullam videtur habere actionem, cui propter inopiam adversarii inanis actio est. l. 6. ff. dol. mal. Nec Magistratus dici potest, justitiam denegasse, ubi justitia & administratio vel difficultis, vel prorsus impossibilis. Hinc bene Germani proverbio frequentant; *Wo nichts ist / hat der Kaiser sein Recht verloren.* Nisi forte bona debitoris subdolè subtracta, vel pendente postulatione & Magistratu moram in administranda justitia trahente primum desperita vel imminuta, vel in Reipubl. aut aliorum converfa sint utilitatem, quo casu Magistratus in culpâ revera constitutus, conveniri poterit. *Mind. de process. c. 49. membr. 7.* IV. Necesse est, nt propter debitum requisitus sit judex, ab ipso autem justitia denegata aut frivolè protracta & procelata fuerit, daß dem Kläger das Recht fündlich versaget / oder gefährlichen verzogen worden. Dicitur autem justitia denegata, non quoties judex judicat secundum leges & statuta duriora sui loci, licet enim illa ab æquitate juris Romani remotiora fuerint, pro justis tamen sunt habenda, nam gentes ad jura sua civilia observanda se invicem cogere non possunt §. 1. l. de J. N. G. & Civ. Et saepius accidit, ut quod in unâ civitate videtur iniquum, in altera, habitu loci vel aliarum circumstantiarum ratione, æquissimum judicetur. Sed quando judex vel arbitros denegat, vel absolvit eum, quem palam debebat condemnare, vel alterius . judicis

* * (24.) * *

judicis ad se scribentis justam sententiam, non vult execu-
tioni mandare, vel aliis insuper modis, de quibus *Wesenbec.*
consil. 46. n. 21. V. Requiritur ut ab inferiore ad superio-
rem sit appellatum in casu sententiae iniquæ latæ; vel via
simplicis querelæ, justitia denegata & protracta. Quando-
cunque enim inferior à superiore cogi potest, ad justitiam
administrandam & exercendam, juris ratio, superioris
efflagitat aditionem. *Arum. sèpè all. diss. 8. th. 4.* quod si & ipse
jus deneget, tandem ad suum revertendum est Magistra-
tum, & Represalia debito modo petendæ. Cum autem
quilibet judex præsumatur facere justitiam *l. 2. C. de offic. jud.*
meritò, uti est in *l. 1. C. de suscep. præpos. & arcan. testibus ad-*
hibitis contestationem debebit proponere, si quis contra-
rium alleget. Hinc VI. requiritur Probatio factæ dene-
gationis à superiore. Sola enim querela etiam jurata, se
desperasse de consequendo jure, quod tamen quibusdam
placet, non sufficit, sed fieri debet vel per instrumentum
publicum à Notario in forma meliori confectum *Gail. I. obs.*
28. n. 3. vel per testes fide dignissimos. *Bart. quæst. 4. n. 12.* Ni-
si Represalias impetrans, persona sit alicujus autoritatis, &
de cuius vitæ fideique integritate & sanctimonia omnibus
probè constet *Arum. cit. loc.* & nisi denegatio sit notoria.
Denique VII. nullum aliud superesse debet remedium,
quo supplicans jus suum consequi possit, quam concessis
Represaliis, melius enim longè est intacta jura servari,
quam post vulneratam causam remedium quærere. *l. fin. C.*
in quib. caus. in integr. restit. necess. non est.

II.

Si nihil horum obstante, Magistratus Represalias de-
cernere penitus animum induxit, ex superabundanti per
Legatum aut alios interpellationem de administranda ju-
stitia (quam tamen semel tantum fieri sufficit *Gail. I. Pract.*

C 3

obser.



*obſerv. 28. n. 5.) additis justæ petitionis fundamentis, com-
minationemque apud illum, in cuius subditos conceden-
dæ, facere curer, ne armis & contentionibus locum prius
concessisse videatur, quām monitis humanis & amicis.
Quod si verò nec hâc quicquām profecerit viâ, & adverſa-
rius æquitate omni poſthabita, in ſua perſeveret pervica-
cia, denique vi obtinendum, quod jure non licet, adeoque
Reprefaliæ, cogente ita neceſſitate, concedendæ, atque
quovis opportuno exercendæ loco. Notanter autem
adjicimus exercendas eas eſſe loco opportuno, ut conſter-
fieri debere pignorationem. I. non niſi in concedentis terri-
torio. arg. l. fin. ff. de jurisdict. quibus jungenda quæ Gotho-
fred. ad hanc. l. annotat, & ſanè in territorio alieno abſque
bello quaſi aperto haud poſſent Reprefaliæ exerceri. Ad-
de, quod justitiae confunditur ordo, quando ſua cuique non
relinquitur jurisdictione, ſi tamen prius ejus loci requiſitus ſit
Magistratus, aut periculum in mora & ſubitaneus metuen-
dus diſceſſus, certis caſibus propriâ autoritate reo imponi
poſt arrestum, & deinde requiſitio debita ordinarii Ma-
gistratus peragi. Arumn. l. cit. theſ. 6. Sic II. excipiuntur
Eccleſiae, ad quas debitor vel delinquens ſi configiat, ex-
trahi inde, propter loci religionem, violenter nequit, adeò,
ut qui hoc moliri, aut facere, aut nudâ ſaltem cogitatione
auſi fuerint tentare, capitali & ultimi ſuppliciis animadver-
ſione, plectendi ſint, uti ipſiſſima verba Leonis Imperatoris
in l. 6. C. de biſ qui ad Eccl. config. in pr. ſe habent, quam con-
ſtitutionem Theodosius & Valentinianus jam ante Leonis
tempora vulgaverant, atque pro aſylo omnia, quæ Eccleſiā
continetur, uſque ad extremas foreſ constituerunt vid. l. 3.
C. eod. tit. Atrociter tamen delinquentibus jus iſtud aſyli
denegatum eſt, neque enim publicis latronibus, nocturnis
agrorum depopulatoribus, viarum publicarum obſeffori-
bus,*

bus, iisque qui contra ipsam Ecclesiam, & in eâ facinus perpetraverunt, quicquam prodest c. inter alia 6. s. de immunitate. Perez. ad C. b. t. qui n. 6. inter alia notanter addit, hâc in parte standum esse potius juri Pontificio, quam juris Cæsarei constitutionibus. Parem ferè immunitatem habet.

III. Domus cuiusque propria, quæ in l. 18. ff. de in jus vocand. cuique tutissimum refugium atque receptaculum præbere dicitur, cumque qui inde in jus vocaret, vim inferre videri. l. 103. ff.

R. I. Et extendit hoc Pekius in tract. de jur. sistendi c. 6. n. 3. ad tuguriolum, vilissimumque horreum domui junctum, ut & stabulum, ad quod per domum aditus patet. Hæc tamen favorabilis ædium exemptio, in debito fiscalis non locum habet, ut id. Pek. eod. c. n. 8. probat.

IV. Excipiuntur Academæ & scholæ publicæ, quia scholæ in quibus Doctores profitentur, sunt velut idomus propriæ studiosorum Rebuff. de privil. schol. c. 102. & ex eo cit. Pek. n. 10. V. Et ille locus inviolabilis erit, ad quem à creditore transigendi causa vocatus est debitor, quia in quotidiana praxi usu receptum esse videmus, quod quando partes sunt in tractatu pacis, omnis ratio procedendi & processus litis cesseret. Pek. c. 7. n. 4.

III.

Postquam de loco egimus, de Tempore nunc erit disquisitio quia inter Tempus & Locum est quædam juris affinitas. l. fin. ff. de condic. tritic. dicimus autem eas posse exerceri omni tempore etiam die in honorem Dei feriato, necessitatis ita adiente casu, quia & necessitas non habet legem & eodem die propter necessitatem actus exerceri possunt judiciales, & executio fieri, modò non sit cum causæ cognitione conjuncta. Ita Jac. à Can. tract. de Repres. n. 33. Mart. Laud. num. 48. 49. 50. & cum illis consilia Illustr. divers. Acad. Tom. 4. consil. 2. n. 219. Imò sacræ paginæ demonstrant, Christum plurima fecisse die Sabbatho & permisisse, quæ

quæ alias credebantur prohibita. *Matth.* 12. v. 1. 10. *Marc.* 2. v. 26. & seqq. & c. 3. vers. 4. c. 6. v. 2. *Luc.* 6. vers. 1. & c. 13. v. 14. *Joh.* 5. vers. 10.

CAPUT V. Exhibens FINEM.

I.

Cum cuiusque rei finis, ad quem omne tendit negotium, tanquam causa omnium causarum, potissimum sit attendendus & semper illud spectemus, cuj^o rei gratia aliquid adhibetur *arg. l. 19. §. 13. ff. de aur.* & *arg. l. Col. de proc. exec. p. 3. c. 1. n. 1.* Proinde operæ pretium nos esse facturos putamus, si de Fine Represaliarum pauca quoq; subjiciamus. Enim verò insipientes rem penitus, deprehendimus *Represaliarum finem duplēm*, unum *Primarium*, qui est, ut damnum passus in jus restituatur, suumq; quod absfuit eidē tribuatur. Etenim cum domino rem suam repetenti justo modo, haud denegari debeat justitia, nec ulla juris permittat ratio, ut aliena quis retineat, & sic alter alterius locupletetur damno. *l. cum hi. 8. §. 22. ff. de transact. contra jura facit, qui suum cuique non tribuit.* Temeritate itaq; hominum indies auge scente, cùm sàpè contra hoc præceptum peccaretur, ne justitia penitus interiret, alio fuit opus remedio, ut, quod recta juris via & adjudicatio judicis præstare vel non potuit, vel etiam interdum planè recusavit, id violentus & executivus Represaliarum obtineret & excuteret modus, atq; ita suum actor consequeretur, reo verò injustum lucrum extorqueretur.

II.

Est & alter Represaliarum finis, quem *secundarium vocamus*, Utilitas nimirum publica, atque ob hanc Represaliæ vel consimilia remedia pro justis habentur, quæ alias illicita, *l. 1. ff. de usucap.* & *Doctores ad l. fin. C. si contr. jus vel util.*

• 25. •

util. publ. Scilicet per Represalias Magistratus injustæ actio-
nes & judicia temperantur, conniventia illorum ad scelera
& fraudes suorum nequam subditorum tollitur & discere
mercari cautè jubentur. Hinc non ineleganter Laud. sui
tr. n. 7. ait : finaliter Represaliæ conceduntur ne pereat ju-
stitia, occasionaliter autem propter neglectum justitiæ in-
surgentem ex defectu vel negligentia Regentium. Cives
quoque suos dum quis ab exterorum liberat injuria, dum
eorum bona omnibus licitis modis promovet, ab hostium
insultu omni ratione tueri studet, dum actiones exterorum
injustas, Represaliis corrigit, & ita ipsis judicibus malè ju-
dicantibus fræni adhibet temperiem, hoc exinde in eum
redundat commodum, ut amor & reverentia subditorum
erga se in dies magisque crescat, ut firma stet apud exterorū
& potentia sua & autoritas, & denique ut fruatur pace quam
diutissimè.

CAPUT VI.

*Exhibens Processum Represaliarum & actio-
nem, quâ Represaliatus adversus verum Reum
experitur.*

I.

Quartuor ita causarum generibus pertractatis, his
nunc quædam, de Processu & actione Represaliati adji-
cienda sunt. Atque hic initio præmittimus quæ-
stionem : An petitio Represaliarum per modum actionis
fieri debet, an vero ad nudam manum Regiam ut loquun-
tur, configiendum sit ? Seu, ut manifestius loquamur, quæ-
ri solet. Num Represalias petenti necessarius sit libellus, ci-
ratio, litis contestatio, & cætera judiciorum solennia, an ve-
ro his omissis de plano procedi possit ? Martin. Laud. v. 13.
cum seqq. Bald. in Auth. sed omnino. C. ne uxor pro marito. acri-

D

ter

ter primum quæstionis defendunt membrum, & putant
 eas judicis officio expediri, & sic libellum, citationem & re-
 liqua necessaria esse. Verum verior videtur Bartoli quæst.
 3. n. 2. & quæst. 4. n. 1. sententia, cum qua & Jac. à Can. sæpè
 all. tract. n. 24. facit, eas Regiā decerni manu, ideoq; solen-
 nia prædicta, de necessitate haud esse, quia litis contestatio
 in causis præprimis executivis celeremque expeditionem,
 requirentibus, cessat, ubi qualis qualis sufficit delatio, quam
 Dd. implicitam litis contestationem vocant. Excipe si aliud
 ex statuto obtineat, uti enim Represaliæ Juris Gentium sunt,
 & moribus introductæ, ita illis à jure Civilia liquid addi, ite-
 rumque detrahi posse arg. l. 6. ff. de I. & I. constat, idque vel
 ad oculum demonstrat Represaliarum executio, hæ enim
 de Jure Gentium simpliciter à quovis è populo usurpandæ
 erant Hug. Grot. l. 3. c. 2. inf. de J. B. & P. at de jure civili ho-
 dierno maximè, ministris publicis & officialibus est com-
 mittenda, juxta l. 5. §. 27. ff. ut in posses. legat. nisi ipsi facultas
 hæc in concessione sit tributa Pek. de jur. sist. c. 20. n. 2 vel
 ministrorum copia haberi non possit. Ministri autem pu-
 blici ad represaliandum designati, quam celerrimè pote-
 runt, mandatum exequantur, quod si se subducunt, aut
 latitant, potest pars læsa de illorum negligentia & fraude
 conqueri, atque tum condemnabuntur eidem ad expen-
 das, damna & id quod interest. Imò Divi Principes Grat. Vi-
 lent. & Theodos. hujusmodi executores, qui officium suum
 facere cessaverunt, ab officio removendos, aliosque in eo-
 rum locum supponendos esse rescripsierunt, ut sciant cau-
 sas à se non esse deludendas, nec lucri gratia, aliquod eis
 vitium imponendum l. i. & 3. C. de Sport. vid. Pek. d. l. c. 24.
 n. 4. Dum verò exequuntur officium Ministri non acer-
 bos sese nec contumeliosos erga eum, quem capiunt, sed
 moderatos & cum efficacia benignos ac cum instantia hu-
 manus

• 27. •

manos represaliato exhibeant, nam inter insolentiam incuriosam, & diligentiam non ambitiosam multum interest
I. si. bene 33. ff. de usur. & fruct.

II.

Homines quamprimum capti sunt, Judici eos tradere oportet, qui in custodiam ducere publicam, illos jubet, non ut inde pœnam sentiant, sed detinentur tantum, donec damnum quod læsa pars passa est, resarciantur, & ne interea loci fugam moliantur, igitur haberi carcer debet, non ad puniendos sed continendos. *I. 8. §. 9. ff. de pœn. I. Divus 3. ff. de custod. reor. I. Nemocarcerem C. de exact. trib. Reink. de Reg. Sec. & Eccl. I. 2. cl. 2. c. 17. n. 87.* Prospiciendum autem personæ detentæ de alimentis, ejus qualitati & conditioni convenientibus, omnibusque ad vitam necessariis. Rebus prehensis hæc erit cautio, ut adhibitis publicis aliisque fide dignissimis personis conficiatur inventarium, ad extinguidam, dolii & fraudis, quæ metuenda, suspicionem. His deinde sub hasta publicè distractis, id quod debetur persolvitur creditori, si quid post impensas etiam necessarias deductas, est residuum, restituitur domino. *Perez. ad tit. C. ut null. ex vican. 17.*

III.

Jam, ut ad eum, qui damnum vel in persona vel rebus innocenter passus est, progrediamur, is quidem totius negotii confecti testimonio recepto, aut Magistratum suum, qui temeritate propriâ Represaliis occasionem dedit, aut concivem suum, pro cuius debito solutio facta, convenit, suum quod amisit, recuperaturus. *Limn. I. supr. cit. n. 318.* At quānam actione? mirè Doctores se invicem torquent. *Hunnius in suâ de Repref. disputatione Giesæ habita Anno 1618. th. 18.* nullam prorsus actionem, nullum regressum pignorato contra principalem debitorem, cuius occasione fuit

vexatus, relinquit, cum nihil omnino cum hoc verus debitor contraxerit, nihilque etiam in eum deliquerit. *Quod enim non solvit suo creditori*, inquit Hunnius: quid obsecro hoc ad eum, qui Represalias est passus? omnis autem actio in personam nascitur vel ex contractu, vel ex maleficio ejus qui convenitur §. I. I. de act. Nec recte infertur hoc modo, æquitas suadet, à debitore damnum resarciri alteri, qui Represalias passus est, Ergo ad hæc etiam ei actio competit. Nàm sàpè accidit, ut æquitas non deficiat, deficiat tamen remedium juris, quod pacta nuda monstrant, cum nihil æquitati naturali magis congruum, quam id, quod nudo pacto promissum est, præstari l. i. ff. de pact. Nullum tamen remedium jure proditum est, quo id exigatur, & ab invito extorqueatur, l. 7. §. 5. ff. eod. Nec putat idem Hunnius, condictionem ex lege locum hic sibi vindicare: Nullam quippe obligationem consuetudine vel statuto introducam esse, qua verus debitor alteri ex Represaliis ad damni restitutionem teneatur. Sic & negotiorum gestorum actionem denegat, quia Represaliatus ad negotium debitoris gerendum sponte non accessit, id quod tamen ad actionem hanc constituendam apprimere requiritur §. I. I. de obl. quæ ex contr. Amplius nec Represaliatum gerere debitoris negotium, ait, cum debitor nihil quicquam utilitatis percipiatur ex Represaliis, nec à debito liberetur. Denique nec actionem L. Aquiliae, Represaliato contra debitorem tribui posse affirmat, utpote Represaliis habens non laxantem, sed hanc in Magistratum potius, justitiam denegantem & protelantem dari, & sic Represaliatum damnum suum, Magistratui potius, quam vero debitori tribuere debere, atque hunc de damno injuria dato conveniendum esse.

IV. Sed

IV.

Sed his omnibus superhabitatis, nos contra Hunnum, cum communi Doctorum facimus schola, tribuentes maximè actionem Represaliato, & quidem geminam, ita ut ei competat, I. *Condic̄tio ex lege sive actio ex statuto seu consuetudine.* Quoties enim per legem, statutum aut consuetudinem inducitur aliqua obligatio, nec est cautum eâ legi, quo genere actionis experiendum sit, condic̄tio ex legi, locum habet l. i. ff. de condic̄t. ex leg. maximè, quia statutum vel consuetudo pro lege servantur, & legem imitantur l. de quibus. 32. ff. de legib. Mind. de process. c. 50. thes. I. II. Negotiorum quoque gestorum actio utilis est Represaliato adversus debitorem per l. Quae utiliter 45. l. Nam & Servius 21. ff. de ueg. gest. Si nimirum principalis debitor existat solvendo. Arum. th. 6. sep̄e all. diss. 8. Nec obstat, quod suā sponte non gesserit negotia debitoris Represaliatus, lex enim 3. §. 10. dict. tit. de neg. gest. dicit, non solum actionem illi competere, qui ad aliena negotia sponte, verūm etiam qui aliquā necessitate urgente, vel necessitatis suspicione, gessit. Præterea an utilitas aliqua ad verum perveniat debitorem, nec ne, non tam in considerationem venire debet, quam illud, ne necessarius negotiorum gestor, contra justi & aequirationem in damno versetur. l. 45. §. 2. ff. dict. tit. Imò verus debitor nec extra omnem positus est utilitatem, cum solutione hâc à Represaliato facta, omnino liberetur arg. l. 43. ff. eod. quia enim creditor, quod suum erat recepit, tollitur illa, qua alter alteri obstrictus erat, obligatio pr. l. quib. mod. toll. oblig. Quod si verò debitor principalis solvendo non sit, habebit Represaliatus Magistratum sibi obligatum, qui omne damnnum cum capitali restituet Bart. quest. fin. n. 1. 2. Quod in tantum procedit, ut totam etiam communionem habeat obligatam. Æquissimum, quippe

quippe est, ut universitas, quæ speciem societatis habet, in communionem tam lucri quam damni veniat.

V.

Sed quid si talis Represaliatus nullibi suum consequatur, licentia ne ipsi erit vicissim homines de civitate, à quā fuit pignoratus, represaliare? Rectè id, omni jure inspecto, negat Bart. quæst. f. n. fin. Nec remoram aliquam poterit injicere tit. ff. Quod quisq; juris iu al. stat. ut ips. eod. jur. utat. quippe is loquitur de juris executione, proinde si civitas una concessit Represalias contra aliam ex causa non licita, vel modo non licto, ex eadem causâ vel modo contra illam ipsam justalitionis potest adhiberi. At non habet locum in executione facti, nam si una civitas aliquid facit de facto, non potest privatus illicò id imitari, quia ita permitteretur vindicta, quæ regulariter prohibita l. scientiam 45. ff. ad l. Aquil. vid. omnino Excell. Dn. D. Textorem, Praeptorem & Patronum inter ceteros primum, disp. ad Rec. Imper. de Anno 1654. 8. th. fin.

VI.

Cum nulla tam sancta lex sit, quæ suos non inveniat temeratores, igitur brevissimis adhuc Coronidis loco de poena eorum, qui in justè, Represaliis utuntur, differemus. De ea verò ita censem Doctores, quod si quis propria autoritate iis usus fuerit, amissione juris sui puniatur arg. l. extat. 13. ff. quod met. cauf. gest. erit. & quandoque pro ratione circumstantiarum poena corporis afflictiva. Nov. 134. c. 7. & exinde desumpta Auth. Imò à debito C. de obl. & act. Quod si verò justè & legitimè concessis Represaliis, quis abutitur, non solum quadruplo punitur, sed insuper perdit causam, & tenetur ad omnia damna & dispendia Jac. à Can. p. 1. de Repres. n. 47. Mart. Laud. n. 56. nisi error sit, qui excusat à poena legali id. Laud.

Atq;

*** (31.) ***

* Atq; hæc sunt B. L. quæ pro ingenii modu-
lo exiguo & judicij imbecillitate, de ardua Repre-
salarum materia, in medium proferre licuit.
Multæ equidem intacta reliquimus, plurima
præterimus; Sed nec instituti, nec temporis
etiam ratio permisere, latius divagari.

Ergo receptui canimus
sitq;

DEO GLORIA.

ENIMETRA.

I.

Non peccat Magistratus Christianus, Fures
quandoque suspendio necans.

II.

Comitiis si ipsi intersint Principes magis Pu-
blicæ rei consulitur.

III.

Confraternitates Principum in Imperio to-
lerari possunt.

*** (0) ***

SS(O)SS



I.

UT solet Hassfurti conclusus in ignibus ardor
In flamas celeres fulgidus ire suas:
Sic tua non patitur mens otia turpia doctis
Pervolat ad superum sed bona Musa locum.
Sit felix tuus ille scopus, felicior aura
Fortuna studiis sit meriture tuis!

De properabat ex affectu benevol.

Joh. Wolfgang. Textor, D. Pand.
Prof. & Reip. Norib. Consil.



II.

HA SSFOR T E, Tibi, finxit præcordia Titan,
De meliore luto, peccusq; incoxit Honestο
Tam generoso, ut non capiat te pessimus ille,
Qui nutrit pravos Victus, malesuada Voluptas.
Sed veritas avidis manibus, noctesq; diesq;
Priscorum Leges, & dogmata Papiniani.
Perge bonis avibus, callem tere semper eundem.
Nam sic itur ad Astræam, sic itur ad Astra.

*De Modestia & Eruditione Nobil. Domini Respon-
denti sui, debitum apud omnes Bonos reddi-
turus testimonium, L. M. Q. fac.*

PRÆSES.


F I N I S.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-745201-p0037-7

DFG



Altendorf, Diss., 1670-71

X 242 1345

ULB Halle
006 650 694

3



V317



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-745201-p0040-3

DFG

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches



JURIDICA ALIIS

39

27

DE
O

1671 12

Atq; Excellentissimo
CHRISTO-
ENSEILIO,
m, quæ est Altdorffii,
Historiar. P. P. longè
no.

tatem devenerando.

nittit publicæ
obr.

nsuetis

LXXI.

ATTHÆUS
ALMBACO - FRANCUS,

RPHI
ci Schöningerstädt.